



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus VIII. De Conjugio Leprosorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62672)

conjugiò post ejus, quem alter habebat, conjugis obitum potiundi spe factâ, ab adulterina consuetudine mutuâque matrimonii promissione recessum & arrharum restitutionem persuaderent. Sed id ze-
lò quàm Juris peritiâ majore; quòd cri-
minis impedimentum ita cessare, ullâ Ju-
ris autoritate vel ratione non evincatur,
cit. Sanchez Lib. 7. disp. 79. n. 7. Imò
Jus matrimoniò copulari indiscriminatim
non permittat adulteros, qui illud de-
facto contraxerunt vel de contrahendo fi-
dem sibi mutuo dederunt, *san. Relatum*
c. 1. Sc. cit. & c. Veniens cit. conjugium
cum adultera, si fides ei data sit, irri-
tum pronuntietur, recessu ab ista & ad
legitimam uxorem reditu non obstante:
idque justissimâ ratione; quòd, si ab
impedimento semel contracto se dictò
modò eximere valerent, illius introdu-
ctione matrimoniorum fidei parùm fuif-

set prospectum; cùm ab adulterino com-
mercio eos absterrendi vim non haberet
ademptio spei conjugii potiundi, si tem-
poranei ejusque brevissimi recessus bene-
ficiò impedimentum tolli, & amissam il-
lius spem recuperari posse, adulteri sci-
rent. Aliud esset, si ante adulterium
commissum à matrimonio de facto initi
contractu vel promissione recederent;
cùm enim tali casu matrimonii contra-
ctus vel promissio alterius conjugis vi-
vente cum adulterio non concurreret,
impedimentum nuptiale non contrahere-
tur, per text. *c. fm. cit.* ad hoc inducen-
dum adulterii cum matrimonio vel istius
promissione concursus exigentis, ut ibi
cum Ant. de Butrio *in fine*, Anchorano
n. 2. Boich. *n. 3.* observant Speculat. *ad*
hanc Rubric. §. Unio. n. 4. Sotus *in 4.*
dist. 37. q. unic. art. 4. & cit. Sanchez
n. 5.



TITULUS VIII.

De Conjugio Leprosorum.

SUMMARIUM.

1. Matrimonium inire possunt infecti leprâ:
2. Qua tamen antecedentia sponsalia:
3. Non etiam matrimonium solvit:
4. Etiam si hoc nondum sit consummatum.
5. Lepra non est justa causa Divortii:
6. Nisi notabile periculum asserat infectionis.
7. Eadem aliorum morborum contagio-
forum ratio est.

8. A leproso divortium non facile sua-
dendum est:
9. Et facilius à thoro, quàm à cohabit-
tatione permittendum,
10. Saltem si lepra matrimonium non
anteceffit.

CUm leprosi à civitatibus & ho-
minum consortio passim arce-
antur, individuae vitæ societa-
ti, quæ conjugio initur, non
minùs quàm alia nuptiarum impedi-
ta obtare videri, & iis interferi non
immeritò

immeritò potest Lepra. Quæ, an & quomodo conjugii contractui & usui obflet, ut clariùs constet, certa dubiis præmittemus.

Certum itaque est Primò, leprofos, si reperiant, qui cum ipsis velint matrimonium inire, posse; quia Edictum de Nuptiis prohibitorium est, *c. Cum apud 23. de Spons. & matrim.* ac proinde de re generaliter omnibus, specialiter non prohibitis, permissa, *Glossa in c. cit. V. Prohibitorium & l. Mutus 43. §. 1. ff. de Procuratoribus & in c. Quoniam 2. V. Liberum, hâc Rubr.* Secundò, nihilominus sponsalia de futuro, quibus lepra supervenit, dissolvi; ut sponsus eâ non infectus conditioni valeat renuntiare, etiam si illa fuissent jurata, ut *c. Quomodo 25. pr. de Jurejurando* decisum & ratio clara est; quia sponsalibus & adjecto juramento inest conditio, *Nisires notabiliter mutetur, ut arg. l. Cum quis 38. pr. ff. de Solutionibus in c. cit.* notant *Glossa V. Conditio, & Ant. de Butrio n. 13.* quod vel maximè contingit leprâ superveniente. Tertiò leprâ, tam præcedente quàm subsequente, matrimonium quoad vinculum non dissolvi saltem, si id per carnalem copulam sit consummatum, *can. Is qui 32. q. 7. c. 1. §. Quoniam & c. Quoniam 2.* quia matrimonii consummati vinculum insolubile est Jure Divino *Matth. cap. 19. v. 6.*

Dubium autem imprimis est de matrimonio Rato; hoc enim, superveniente leprâ dirimi, desumi videtur ex *c. fin. verbis, Ad eam recipiendam cogi non debet, cum qua nondum matrimonium fuerit consummatum:* & ex *can. Quod proposuisti 32. q. 7.* quo textu relatus Gregorius III. vel potius II. de viro, cui uxor infirmitate (ac proin etiam leprâ) correpta non valuit debitum reddere, re-

scribens, *Si, inquit, non poterit se continere, nubar,* non obstanti valore matrimonii initi cum infirma; cùm, si hoc fuisset nullum, ei subsidii opem non subtrahi, Papa non præcepisset.

Sed, licet dispensationis in matrimonio Rato petendæ & concedendæ causam justam esse, quòd eo conjunctorum alter in lepram inciderit, non immeritò existiment Sanchez *Lib. 2. de Matrim. disp. 16. n. 5.* & Perez *disp. 40. de Matrim. f. 7. n. 13.* & propter hanc in illo dispensatum, testis sit Burgesius *de Irregul. p. 6. Tit. de Sponsal. n. 74.* unanimis tamen DD. sententia, leprâ superveniente, matrimonii Rati vinculum ipso Jure dissolvi, negat; quòd id dirimendi vis soli professioni Religiosæ indulta reperitur, *c. Verùm 2. §. c. Ex publico 7. de Convers. conjugat.*

Neque, si verborum cortici non inhæreamus, eâ vi etiam lepram polle- re, evincit in eam rem adductorum textum prior; cùm isto proposita quæstio fuerit de sponsalibus, non quibuscunque, sed disertè *de Futuro:* quæ verba quæstioni *c. fin. cit.* Urbano Papæ propositæ, ad ejus declarationem & dubitationem omnem tollendam à S. Raymundo compilatore, fortassis Gregoriū IX. jussu, adjecta, observat Gonzalez *in c. cit. n. 8.* Unde, ut interrogationi congruat responsio, in hac ab Urbano reddita verbum *Consummatum* de consummatione, non quæ per copulam carnalem: sed de ea, quæ per consensum de præsentî præstitum habetur, & matrimonium quoad essentiam consummat, *l. Nuptias 30. ff. de R. I. intelligendum, ibi Hostiens. in fine, Panormit. n. 3.* & ceteri Interpp. ac DD. notant.

Minus expedita expositio est posterioris sive *can. Quod proposuisti cit.* & Gratiano quidem lacris Canonibus, imò

Evangelicæ & Apostolicæ doctrinæ ad-
versari visus est §. *Sed illud post can. cit.*
Unde ipse uxore ita infirmâ, ut debitum
conjugale reddere non valeret, alias nu-
ptias Anglis recens ad fidem converfis in-
dultas, vel potius ex gravibus causis tole-
ratas, ait §. *Quamvis post can. Si quis
cum noverca, 24. q. cit.* Sed melius *can.*
illò contentum Papæ Rescriptum cum
Glossa *V. Nubat*, de muliere nondum co-
gnita, & de nuptiis propter ejus infirmi-
tatem cum alia permissis præviâ dispen-
satione in matrimonio Rato, Pontius
Lib. 7. de Matr. cap. 52. n. 14. & Bar-
bosa in *can. Quod proposuisti cit. n. 2.*
vel de muliere correpta infirmitate arca-
tionis sive arcaitudinis; ut à viro carna-
liter cognosci non posset, ac proinde ad
matrimonium validè ineundum & con-
summandum esset inhabilis, cum VV. In-
terpp. nonnullis intelligunt Tholosan.
in *c. 1. de Sponsal. n. 27.* Canus *Lib. 6.*
Loc. Theolog. cap. 8. ad 8. & Bellarminus
Lib. 1. de Matrim. cap. 11. in fine.

Neque refert; quòd ei subtrahi pro-
hibeantur subsidia vitæ; quia hæc vel per
restitutionem dotis, vel de consilio dun-
taxat ei ex Papæ rescribentis mente præ-
benda fuisse, cum *cit.* Glossa notat Barbo-
sa *cit. n. 2.*

5. Dubium deinde est, an propter le-
pram supervenientem conjux sanus à le-
proso saltem quoad thorum valeat diver-
tere, eique conjugale debitum negare. Ra-
tio dubitandi de una parte est; quòd, ut
initio insinuatum est, propter periculum
infectionis leprosi ab humano consortio
passim arceantur adeò; ut eis peculiare
Ecclesiæ assignentur, *c. Cum dicat 2. de
Eccles. adif.* & leprâ percussis Moniali-
bus, quantumvis aliàs ad strictam Clau-
suram obligatæ sint, egressus è claustrò à
Pio V. permittatur *Constit.* quæ incipit
Decoris, apud Donatum *Tom. 4. Praxis*

Regular. Tract. 4. q. 1. n. 2. Cur non
etiam removeri queant à cohabitatione,
& præsertim à communi thoro? cum in-
fectionis periculum ex istius usu multò
majus immineat, quàm ex ullo alio com-
mercio humano. De altera verò; quòd
vir & uxor sint una caro, *c. 1.* & propte-
rea ab uxore sua, exceptâ causâ fornicationis
sive adulterii, ac proinde ob solam
lepram divertere, nemini licitò, Alex. III.
rescriptum *c. Quoniam 2.* & æternæ veri-
tatis oraculum sit *Matth. cap. 19. v. 9.*

Utrique huic rationi aliquid tribuen-
dum & discrimen statuendum est inter
lepræ malignitatem; ut sanus ad cohabi-
tationem cæteraque obsequia conjugalis
& ipsam etiam debiti redditionem ad-
stringatur, cum lepra superveniens Me-
dicorum judiciò non est contagiosa; &
propterea ex hac illi nullum aut leve pe-
riculum imminet infectionis: de quo casus
c. 1. & c. Quoniam cit. exaudiunt DD.
casu autem, quòd istius periculum coha-
bitatio & conjugalis debiti redditio asser-
re judicatur, ad hanc & illam non obligat-
ur; quòd contractus matrimoniali ad eas
se obligare aliter voluisse non præsumat-
ur, quàm salvâ proprii individui incon-
lunitate; cum hanc alienis commodis ac
solatiis præferre doceat Ordo Charitatis,
quæ incipit à se ipso, *arg. can. Si non licet,
23. q. 5. & c. Dilectio 25. de Prabend. &
dignit.* Ita cum Sylvestro *V. Debitum, q. 1.
Navarro Manual. cap. 16. n. 25.* & aliis
docent ex Theologis Sanchez *Lib. 9. disp.
24. n. 2. & 17.* & Bonacina *de Matrim.
q. 4. p. 1. n. 8.* ex JCT. is duo Barbosa
Petr. in *Rubric. ff. Solutio matrim. p. 2. n.
28.* Augustin. in *c. Quoniam cit. n. 2.* & ex
Medicis Zacchias *Q. Medico-legal. Lib.
7. Tit. 2. q. 5. n. 1.*

Eadem, quæ lepræ, ratio est Gallici
istiusque affinium & contagiosorum
morborum aliorum: quibus proinde in-
fecto

fecto conjugii debitum reddere, quando sine probabili periculo infectionis & sanitatis gravi detrimento non potest, conjugem sanum non teneri, aliis DD. relatis monent *citt. Sanchez n. 18. & Barbosa in c. Quoniam cit. n. 3.*

8. Diebus tamen addenda & bene notanda sunt tria. Primò extra casum, quò ex lepræ aut alterius morbi malignitate aut nimio horrore naturali periculum salutis manifestum imminet, sano recessum à commercio & cohabitatione conjugali non facillè suadendum, imò ferè dissuadendum, ut colligitur ex *c. 1. & c. Quoniam cit.* ubi tamen, cum à præcepto Apostolico casus lepræ non exceptus asseritur, id intelligendum est, quamdiu cohabitatione moraliter possibilis est: non etiam, cum eam morbi contagiosa malignitas aut nimius horror ita impossibilem reddit, *arg. Reg. Impossibilem 185. ff. & Reg. Nemo 6. in 6.*

Vivianus in *c. cit. §. 3.* Secundò, conjugem sanum ob alterius lepram aliãve ei affinem malignitatem facillè à redditione debiti absolvendum, quàm omnino divertere: imò hoc nunquam, nisi ministratis afflicto vitæ subsidiis permittendum; cum infectionis periculum ferè majus ex carnali quàm alio commercio aut sola cohabitatione aliorumve obsequiorum exhibitione oriatur, ut laudatus Zacchias *n. 3.* observat. Tertiò, à redditione debiti & cohabitatione sanum multò difficilius excusari, quando lepra matrimonialem contractum antecessit, idque sanus non ignoravit, quàm si matrimonio jam inito superveniat; priori enim casu, sibi imputare debet periculum infectionis, cui se liberè exposuit, cum leproso scienter contrahendò, ut cum Alex. de Nevo in *c. Quoniam cit. n. 6.* Navarro *Manual. cap. 16. n. 25. &c.* monent *citt. Sanchez n. 22. & Barbosa in c. cit. n. 4.*



TITVLVS IX. De Conjugio Servorum.

SUMMARIUM.

1. Conjugium irritat error Conditionis
2. Non Adscriptitia & Originaria,
3. Sed Servilis :
4. Etsi id inter servum & ancillam consistere queat,
5. Si cum domini consensu :
6. Imò etiam sine isto contrahatur.
7. Liber cum ea, quam scit ancillam, validè contrahit.
8. Invalidè, si ejus conditionem ignoret,
9. Validè initur cum libera, qua ancilla reputatur.
10. Opiniones de Origine impediendi Conditionis,
11. Conciliantur.
12. Jure Ecclesiastico proditum non afficit infideles.
13. Matrimonium olim ex copula præsumebatur.
14. Hodie ea præsumptio cessat.
15. Cognitâ uxoris servitute maritus à thoro liberè;
16. A co-

B b 3

16. A co-